

# Cura Sanitatis Tiberii

Ed. E. Dobschütz, 1899.<sup>1</sup>

**1.** (Factum est autem / *Hanc Pylatus Claudio direxit epistolam adhuc virente Tiberio imperatore licet gravissimo laborante morbo. Ipso enim*) cum Tiberio et Vitellio consulibus eodem tempore Tiberius Caesar gubernabat imperium <*et Claudium successorem rei publicae delegisset*> necesse fuit, ut in partibus Hierosolimorum virum prudentem dirigeret ut Christum Jhesum possit videre [Tiberius], quia multa de eo mirabilia audiebat, eo quod mortuos suscitaret et infirmos verbo sanaret tam per se quam etiam per discipulos suos, hoc enim consilio suo utitur dicens: 'si deus est, praestare nobis potest; si [autem] homo est, amare nos potest, et rem publicam gubernare per eum possumus.'

(Tamen / *Hunc vero desidero adduci,*) quia perurguit me infirmitas corporis mei, eligatur <*itaque*> homo prudens, qui eum ad nos cum rogo et magno honore perducere possit', electo itaque inlustrem virum Volusianum, sacerdotem templi, iam ex comite rei publicae privatum, direxit et misit eum in partibus Hierosolimorum, ut eum tam suo rogo quam Caesaris Augusti sub reverentia et honore ad eum perduceret, quia dolore nimio cruciabatur, ut etiam secretiora eius putredo et contusiovulneris de eius corpore distillaret.

**2.** tunc Tiberius Caesar summis medicamentis et unguentis languida viscera refovere studebat; sed nihil omnino inlatae curae sentiebat effectum, et dum nullum suae salutis sensisset augmentum et dum diu nihil ei proficeret sanitatem, iussit ad se Volusianum inlustrem virum perduci, quem cum vidisset Caesar, dixit ei: 'testor te coram deos deasque et auctorem deorum [daemonum], fungere legationem meam et rei publicae tribue sanitatem, quia intrinsecus medolor perurguit indicio et viscera mea vulnerata fundantur, quia dum haec omnia feceris, quaecumque desiderio tuo coram desideras, tuo iudicio adimpletur, festina ergo et vade; quia auditum est mihi eo quod sit homo quidam Judaeus nomine Jhesus, quem etiam dicunt mortuos suscitare, caecos inluminare et alia multa innumerabilia (virtutis suae divinitatis imperio inlustrare genti Judaeorum / *virtute suae divinitatis exercere et iussu imperii cuncta peragere gentemque Judaeorum claritate illustrare*) verbo<*que*> tantum eum dicitur praestare salutem'.

**3.** Tunc Volusianus inclinato capite suo curvus adoravit Caesarem et eo adorato dixit: 'pia est intentio domini mei piiCaesaris'. respondit Caesar et dixit ad eum: 'Volusiane, ecce praesentem habes relatorem hominem, qui mihi haec omnia dixit, quia et deum se profitetur, unde et supra dixi: "si deus est adiuvat nos, si autem homo est praestare nobis potest et rei publicae nostrae." ideo commoneo te, ut ad eum sine mora festinus pergas'. tunc Volusianus secundum veterum legum ordinationem fecit testamentum domui suae, et ascendens navem iter sibi iniunctum perrexit. Caesar denique coartabatur ab infirmitate

---

<sup>1</sup> The critical edition of the Latin *Cura sanitatis Tiberii* is to be found in E. Dobschütz, *Christusbilder: Untersuchungen zur christlichen Legende* (Leipzig, 1899), in the second volume with the curious page numbers 157\*\*-203\*\*. Online [here](#). There are two manuscripts, A and B. The text in normal type is from A; the text in italics is from B. Where a passage appears differently in both, such as the first few words, these are placed in brackets. So "(Tunc / Ita) Tiberius" means that the text in A reads "Tunc Tiberius" and in B reads "Ita Tiberius".

siringii usque ad mortem. Volusianus vero post annum unum et tribus mensibus discrimina faciente maris Hierosolimam pervenit.

4. Qui cum introisset civitatem omnes maiores natu Judaeorum in adventu eius turbati sunt, pergentes ad Pilatum praesidem Judeae nuntiantes ei et dicentes eo quod vir nobilis in honore constitutus de partibus Romaniae superioris advenisset, tunc Pilatus in occursum eius studiose occurrit, introgressus ad Volusianum Pilatus sic cum sollicitudine dixit: 'usque quo non meruimus servi tui de vestro itinere scire, ut in vestro itinere mitteremus occursum?' respondit autem Volusianus [et] dixit ei: 'nos enim non in cognitione provinciae directi sumus a piissimo nostro Caesare aut pro urbium turbatione nec pro sollicitudine rei publicae, sed studium nobis est curae, quaerere pii domini nostri Tiberii Augusti salutem: quia in secretiora loca eius morbida eum valitudo adstrinxit, ita ut nec medicaminibus nec incantationibus viatrac(?) fistulae potuit adiuvari. ista sollicitudo nos promovit, ut iussi ab ipso hic coniungeremus, licet post multos dies vi maris impediente longo traximus itinere; et hominem Jhesum nomine cernere desideramus, quem audivimus quod absque medicamentis aut aliquarum herbarum consecratione poterit curam sanitatis praestare, sicut et relatio cuiusdam hic adstantis demonstrat. verbo tantum omnia morborum inquinamenta curat, exhibet sanitatem, etiam et mortuos suscit'. his auditis Pilatus mox contrastatus ingemuit.

5. Ad haec relator homo Judaeus, Thomas nomine cuius relatione ante conspectum Caesaris fuerat patefacta, dixit: 'deum meum, filium dei etiam daemones eum confitebantur; nam et hic sunt discipuli eius, per quos de ipso possis agnoscere veritatem'. tunc unus ex militibus dixit Pilato praesidi: 'ipsum desiderat prudentissimum videre, quem crucifigi non metuit tua magnificentia'. confusus est itaque Pilatus ad relationem prolocutionis militis sui. post haec Volusianus dixit ad Pilatum: 'tu, Pilate, sine consilio domini Caesaris piissimi Augusti Jhesum quem vulgus iustum adfirmant cur morte permisisti damnari?' respondit autem Pilatus [et] dixit: 'Judeorum voces pati non potui quia regem se dicebat'.

6. tunc dixit milex Pilati: 'non perturbetur magnitudo vestra, vere resurgentem eum nos ipsi vidimus tertia die. nam et multi fuerunt nobiscum, qui viderunt eum postea vivum et alacrem ambularem; etiam et Joseph, qui eum sepelivit'. eadem hora iussit Volusianus Joseph ad se perduci cum grandi honore et veneratione, qui cum advenisset, dixit Volusianus: tu solus in populo tuo prudens, ut didicimus, in hac urbe inventus es. dic nobis in veritate de Jhesu, verum adprobatum in gentem vestram hominem iustum, quem daemones deum confitebantur, si certe surrexit a mortuis; quia tuum solum testimonium declaratum accipimus', respondit autem Joseph et dixit: 'certus sum, quia surrexit a mortuis dominus meus Jhesus Christus; quia et ego eum vidi et cum ipso locutus sum, et ego eum prius sepelivi in monumento meo novo quod excidi in petra et vidi eum in Galilea vivum super montem Malec sedentem et docentem discipulos suos', tunc Volusianus misit per omnem regionem Hierosolimorum perquirendum eum, ut agnosceret de illo, et dum frequens inquisitio fieret et non invenisset, venerunt undecim homines et Joseph simul cum eis, qui dixerunt: 'nos eum vidimus ascendentem in caelum', quorum nomina sunt haec: Didimus, Lucius, Isaac didascalus, Aaddas, Finees didascalus, Ezias et Azarias et Levi didascalus et Mattheus.

7. Post haec Volusianus propter nomen principis in grandi custodia Pilatum iussit manere, recluso quidem Pilato in arca custodia, multa mirabilia, quae fecerat Jhesus, Volusiano sunt nuntiata tam per

virorum quam per mulierum ora. his auditis dixit Volusianus coram omni populo: 'si deus erat Jhesus iuvare nos habuit, si homo gubernare rem publicam potuit.' deinde iussit Volusianus ad exercitum suum omnem progeniem Pilati recludi in custodia et in conspectu militum Pilatum aduersari paecepit, cui cum lacrimis dixit: inimice veritatis et rei publicae, quarede Jhesu non retulisti Augusto, quem universa multitudo conlaudat?' respondit Pilatus: 'non enim tantum pollutus sum in sanguine eius; sed Judaei eum interficere conabantur', dixit ei Volusianus: tu tamen quomodo innocentiam tuam in eum ostendis fuisse, qui eum non solum non liberasti a seditione impiorum, sed etiam illis tradidisti?'

**8.** Tunc unus ex discipulis Jhesu nomine Simon adstetit ante Volusianum et coram omni populo dixit: 'Pilate, dum Jhesum nervis castigans adfligeres, dicebas ei: "potestatem habeo dimittendi te et potestatem habeo occidendi te", et quomodo nunc innocentem te adseris?' respondit Pilatus: 'Judeorum insidias pertimui et tradidi eum illis, sed ut innocentiam meam ostenderem, lavi manus meas coram omnibus dicens: "innocens ego sum a sanguine huius iusti, vos videritis", ad haec responderunt mihi seniores Judeorum dicentes: "sanguis eius super nos et super filios nostros".' his auditis Volusianus coepit flere et cum lacrimis dixit ad Pilatum: 'impie, tu tuo bono disposito dimittere eum debuisti'.

**9.** Post haec coepit Volusianus cum magno desiderio perquirere, ut aliquam similitudinem eius posset agnoscere, sic venit quidam homo Marcius nomine pandens secretum cuiusdam mulieris. dixit ad Volusianum: 'ante annos fere tres mulierem curavit a profluvio sanguinis; quae cum sanitatem recepisset ob amorem eius imaginem ipsius sibi depinxit, dum ipse maneret in corpore, ipso Jhesu sciente', tunc Volusianus dixit ad iuvenem: 'indica mihi mulieris nomen'. et ipse dixit: 'Veronice dicitur et manet in Tyro', paecepit Volusianus, ut mulier ipsa ad eum perduceretur, quae cum illi praesentata fuisset, ait ad eam Volusianus: 'bonitas et prudentia tua mihi nuntiata est. exaudi petitionem meam, [et] ostende mihi imaginem viri magni dei tui, qui tibi corporis tui salutem contulit.' ad haec mulier respondit se non habere ea quae dicebantur ab eo.

**10.** tunc Volusianus quasi derisum se existimans diligenter tamen coepit inquirere et licet invita mulier et adflicta, quae erat devota deo suo, devulgavit secretum imaginis auctoris salutis sua, qui misit cum ea multitudinem militum et invenerunt eam absconsam in cubiculo, ubi manebat, ad caput eius; quia ibi caput suum semper commendabat, et ipsa detulit eam Volusiano. at ubi vidit Volusianus imaginem Christi Jhesu, mox contremuit et adoravit eam et dixit: Vere dico vobis, quia malam percipiet retributionem, qui tradedit et crucifixit Jhesum, qui infirmos curabat et mortuos suscitabat'. his delibatis congregato armatas agmina navium cum exercitu militum et Pilatum et mulierem Veronicam quae Basilla dicitur introgressus estnavem una cum imagine Jhesu Christi, pergens cum eis ad urbem Romam, et post novem menses Romam pariter pervenerunt.

**11.** Nuntiatus est Tiberio Caesari adventus Volusiani. procedens Volusianus ingressus est ad Caesarem Tiberium, curvus adoravit eum et narravit ei omnia quae gesta sunt et quomodo tempestate maris faciente tardavit, dixit ad eum Tiberius: 'et quare non imperfectus est Pilatus?' respondit Volusianus: 'pietatem vestram timui offendere; tamen huc eum ad vestra vestigia perduxii'. tunc Tiberius Caesar ira repletus nec faciem suam Pilato videri permisit, dedit in eum sententiam dicens: 'coctum ab igne et aqua

non comedat', et damnatum eum in exilio iussit perduci Tusciā civitatem Ameriam. ibique in carcerem missus est.

**12.** Dixit Volusianus ad Tiberium Caesarem: 'quandam mulierem curavit Jhesus <*a profluvio sanguinis quem patiebatur triginta annis*>, quae pro amore eius imaginem illius sibi depingere fecit in similitudinem ipsius <*ipso Jhesu vivente*>; et hic eam perduxī cum muliere ipsa, nam et ipsa mulier, relicta omnem substantiam suam, secuta est imaginem dei sui dicens: "non dimittam vitam meam, spem salutis et fortitudinem animae meae, sed ubi fuerit peregrina spes mea, ibi et ego cum ea peregrinabo, quia ipsa est divitiae animae meae".'

**13.** Hoc audito Tiberius Augustus iussit sibi mulierem ipsam una cum imagine Jhesu Christi praesentari, et cum vidisset Tiberius Caesar imaginem et mulierem, quae ipsam habebat, dixit ad mulierem: 'tu meruisti tangere fimbriam vestimenti Jhesu!': et dum haec diceret, aspiciens imaginem Jhesu Christi contremuit et cadens in terram cum lacrimis adoravit imaginem Jhesu Christi, qui statim sanus factus est ab infirmitate et putredine vulneris sui, quam patiebatur intrinsecus, at ubi virtutem deitatis eius sensisset per sanitatem corporis sui in visione imaginis, statim praeceperit mulierem Veronicam divitiis et honore locupletari et facultates ei de publico praeceperit contradi iussitque imaginem ipsam auro concludi et lapidibus pretiosis.

**14.** Et dixit ad Volusianum Tiberius: quae est eius praceptio?' respondit Volusianus: 'in quantum didici, nihil aliud nisi ut baptizaretur unusquisque in aqua et credat eum esse dei filium'. dixit Tiberius Caesar: 'vae mihi quia non merui eum in corpore isto videre', post menses vero novem credens in Jhesu Christo Tiberius Caesar et sanus a plaga siringii

*processit que in senatum cum gloria imperiali iubetque senatum quatinus uno consensu Jhesum tenerent et adorarent ut verum deum eiusque statuam super imagines imperatorum et omnium deorum insigniter dedicarent urbi. quod non consentiente senatu, ut Christus reciperetur, effervescens Tiberius Caesar indignatione nimia quam plures nobilissimos ex senatu diversis trucidavit penis, eo quod de Christo non adquievissent sibi; et qui antea fuerat moderate se agens apud omnes, extunc serissime crassatus est in nobilitatem Romani senatus, qui non post multos dies templum Isidis Tiberim demergens sacerdotes necans*

defunctus est in lectulo suo.

*successores reliquit Claudium et Gaium, qui Gaius post parvum temporis excusum diem terminans Claudium reliquit.*

**15. (Eodem tempore / Post Claudium vero)** suscepit imperium Romae Nero Caesar et post aliquantos annos venerunt discipuli <*domini nostri*> Jhesu Christi <*Petrus et Paulus*> ad urbem Romam, venit et quidam Samaritanus Simon nomine in arte magica nimis eruditus, in quo et daemonia habitabant multa, qui se deum et dei filium dicebat et <*quod*> ipse apud Judaeos fuisse passus mortuus et sepultus et tertia die se adserebat resurrexisse, sed dum Neroni Caesari nuntiatum fuisse de Jhesu Christo filio dei vivi, et omnia quae de eo acta sunt apud Judaeos, nuntiatum est ei etiam de Pilato, statim direxit milites suos in Ameriam civitatem et Pilatum ad se aduersiri praeceperit, et cum ei praesentatus fuisse, narravit

omnia quaede Christo Nazareno gesta sunt, praesentavitque ei discipulos eius Petrum et Paulum, ipsi quidem apostoli refutantes Simonem esse Christum dixerunt Neroni Caesari: 'bone imperator, si vis scire quae gesta sunt in Judaea, accipe litteras Pontii Pilati missas ad Claudium, et tunc omnia cognoscere poteris'.

**16.** Nero autem *<mittens ad bibliothecam Capitolii, in qua scripta ipsa continebatur epistola,>* accepit et legit. et series ita erat:

Pontius Pilatus Claudio suo salutem. Nuper accidit et quod ipse probavit; Judaeos cognoscat magnitudo tua, quod invidio se suosque posteros crudeli damnatione punissent. et cum promissum patribus eorum fuisset, quod illis deus eorum mitteret sanctum suum, qui rex eorum merito diceretur, et hunc se per virginem ad terram missurum promiserat, ego itaque in Judaea cum Ebreorum praeses existerem, ipse cum esset deus et dei filium se diceret — et daemonia eum dei filium appellabant, qui et ipse caecos inluminabat, leprosos mundabat, paraliticos curabat, daemones ab hominibus expellebat, mortuos suscitatbat, male habentes verbo sanabat, imperabat ventis et fluctibus et super undas maris pedibus ambulavit, et alia quidem multa mirabilia in conspectu vulgi faciebat — cum autem populus Judaeorum eum dei filium adfirmarent, contra ipsum insidias paraverunt principes sacerdotum Judaeorum et tenentes illum loquentes de eo singula falsa, tradiderunt eum mihi dicentes quia 'contra legem nostram agit', ego autem credens illis flagellatum illum tradidi arbitrio eorum, illi autem crucifixerunt eum et sepulto inposuerunt milites custodientes eum, ut probarent, si resurgeret a mortuis, militibus denique custodientibus die tertia resurrexit, in tantum enim nequitia eorum exarsit, ut pecuniam militibus darent, tantum ut dicerent: 'nobis dormientibus venerunt discipuli eius nocte et rapuerunt corpus eius', ista occasione falsa admonuerunt eos, ut veritatem celarent, sed milites cum acceperissent pecuniam, veritatem ipsam tacere nequaquam potuerunt et ipsum a mortuis resurrexisse testati sunt et qualiter pecuniam a Judaeis acceperunt, patefecerunt, haec ideo vobis suggesti, ne quis vobis mentiatur, aliter existimetis et mendatio Judaeorum adsensum praebatis .

**17.** Cumque perfectae fuissent litterae in conspectu Caesaris, statim Nero Caesar dixit: 'dic mihi, Petre, si per ipsum omnia haec gesta sunt!', tunc Petrus dixit: 'bone imperator, omnia ista, quae audisti, facta sunt per Jhesum Christum dominum nostrum filium dei. nam iste Simon magus plenus est mendaciis et diabolicis artibus circumdatus, in tantum ut dicat se esse deum, cum sit homo pollutus, et filium dei se ausus est dicere, per quem nos sumus omnes victores per deum et hominem, quem adsumpsit illa divina maiestas inreprehensibilis, quae per hominem hominibus dignata est subvenire, in isto vero Simone duae substantiae esse cognoscuntur, non dei et hominis, sed diaboli et hominis; quia ipse seductor per hominem hominibus inpedire conatur'. his auditis Nero imperator interrogavit Pilatum, si vera essent quae a Petro audiebat, respondit Pilatus et dixit: 'Vera sunt omnia, quae a Petro vestris auribus personuerunt'.

**18.** Post haec autem propter circumcisionem suam Pilatus, quam a Judaeis acceperat in corpore suo, iterum in Ameriam civitatem in exilio a Nerone Caesare directus est, ibique *<se ipsum p[ro]ae angustia gladio transverberans>* animam exalavit.

**19.** Haec autem omnia scripta sunt, qualiter damnatus est Pilatus a Tiberio Augusto, qui creditit in Christo Jhesu dominonostro et baptizatus est atque salvatus est et de hac luce in pace ablatus est.

**20.** Nero vero interfector martyrum impius et paganus a diabolo percussus (*interiit / semetipsum solus errans in silvis liquo acuto transforant et mortuus est et a lupis devoratus*) quemadmodum prius a diabolo interpretatus fuerat Simon. Dominus autem salutem contulit credentibus in se; quia ipsum credimus dei filium, qui cum patre et spiritu sancto vivit et regnat per omnia saecula saeculorum. Amen.